

derico Magdeburgensi Episcopo, & *Anselmo* Havelbergenfi Episcopo, & pluribus aliis, accepta cruce, contra paganos contra Aquilonem habitantes profectus est. Hujus temporibus fuit in *Brandenburg* rex *Henricus*, qui Slavice dicebatur *Pribezlaus*: qui Christianus factus, Idolum, quod in *Brandeburgh* fuit, cum tribus capitibus, quod *Tryglav* Slavice dicebatur, & pro Deo colebatur, & alia Idola destruxit, & idololatriam & ritum gentis suæ detestans, cum filium non haberet, *Adelbertum* Marchionem, dictum *Ursum*, heredem sui instituit principatus.

Sifridus XV. Episcopus *Brandeburgensis*, cœpit anno Domini MCLXXIII. Sedit annis sex, mensibus XIX. diebus XXIV. Hic fuit filius *Adelberti Ursi*, Marchionis *Brandeburgensis*, & frater *Otonis primi*, & de clerico seculari in *Brandeburgensem* Episcopum est electus, Præposito *Brandeburgensi Gerardo*, & post *Henrico*. Hic fuit Canonicus S. Mariæ in *Magdeburg*. Hic anno Domini MCLXXX. in Archiepiscopum *Bremensem* est confirmatus, & cessavit Episcopatus *Brandeburgensis*.

Aldwinus XIX. cœpit anno Domini MCCV. sedit annis XI. mensibus VII. diebus XXVI. Obiit MCCXVII. pridie Kal. Junii. Hic juramento obtinuit coram *Alberto* Marchione, *Silvæ Wernitz*, ad castrum *Pritzerwe* quæ est, *Brandeburgensi* Ecclesiæ pertinere. Hic de Præposito in Episcopum est electus, & ei in Præpositura *Günzelinus* successit, & *Günzelino Sifridus*. *Sifridus* XX. cœpit anno Domini MCCXVII. sedit annis III. mensibus XI. diebus XXXIII. Hic de Præposito factus Episcopus, fratrem suum carnalem *Alvericum*, Canonicum *Magdeburgensem*, virum literatum & providum, qui Ordinem *Cisterciensem* assumerat in *Lenin*, in novitiatu recepit, & sibi in præpositura substituit, anno Domini MCCXVII. XIV. Kal. Julii. Qui Præpositus ecclesiæ præsidens utiliter annis XIII. mensibus X. ad Ordinem *Cisterciensem* in *Lenin* rediit, anno Domini MCCXXI. IX. Kal. Maji, & ibidem in Domino.

Ruthgero Præpositis. Obiit autem anno Domini MCCXLI. XIX. Kal. Jan. & cessavit Episcopatus dies V. Hic bonæ literaturæ magister fuerat *Alberti* Archiepiscopi *Magdeburgensis*: Qui propter morum & scientiæ elegantiam ipsam ad Decanatum & Episcopatum creditur promovisse. Fuit enim homo mundus, dulcis, affabilis, studiosus & disciplinatus, adeo ut & ipsi filii nobilium mitterentur ad eum, disciplina & moribus imbuendi. Cotidie pauperes & Scholares ad mensam coram se posuit comedentes. Hic de decimis novæ terræ cum *Johanne* & *Otone* Marchionibus terminavit: altare in Crypta consecravit in honorem Mariæ Virginis, *Johannis Baptistæ*, Mariæ *Magdalænæ*, *Catharinæ*, *Livini* Episcopi & Martyris MCCXXXV. VI. Kal. Decembris, temporibus *Jacobi* Præpositi. Qui *Jacobus* emit villam *Mukede*, & proprietatem, & laudabiliter suæ Ecclesiæ præfuit.

IV.

GENEALOGIA

DVCVM BRVNSVVIGENSIVM,

ILLORVM,


QVI EIMBEK, OSTERROT ET DVDERSTAD, CVM ATTINENTIIS POSSEDERVNT;

THEODORICO ENGELHVSIO

AVCTORE.

Duces *Henricus*, *Johannes* & *Wilhelmus*, fratres. *HENRICVS* vendidit *Duderstad* & *Geveldehusen* Archiepiscopo *Maguntinensi*, pecunia non soluta. Reliquit tres filios, *Otonem*, *Balthasar* & *Thomam*. *Otto* ivit ad *Italiam*, factus ibi magnus, duxit uxorem reginam *Neapolitanam*; fecitque fratrem *Balthasar* Dominum & Comitum *Fundorum*: qui ambo sepulti sunt in *Italia*. *Thomas* autem frater eorum, factus religiosus ordinis *Erëmitarum* S. *Augustini* in *Northusen*, visitans Studium, & factus Doctor S. *Theologia*, multas reliquias portavit de *Italia* ad partes suas; de quibus sunt: *Quinque spina de corona Domini*, & *duæ pretiosæ cruces in Walkenrede*. Idem *Thomas* duxit duas sorores suas ad *Italiam*, quas ibi nobilibus maritavit. *ERNESTVS* possedit *Eimbek* cum attinentiis: *JOHANNES* frater ejus factus est Præpositus *Eimbecensis*; & *WILHELM* obiit sine prole. *Ernestus* Dux, dum quodam tempore equitaret per *Norren*, nihil adversi suspicans, captus est à *Henrico* de *Hardenberch*, & incippatus. Propter quod frater ejus *Johannes* Præpositus, collecto exercitu invasit *Norren*, villam comburens, & pecora cum aliis abducens. Cumque *Hardenberge* hoc vindicare vellent, captus est idem *Henricus* de *Hardenberg*, sedens in equo Ducis capti, & in *Castrum salis* incippatus. Quem cum *Johannes* Præpositus vellet occidere, prohibitus est à suis, ne similiter pateretur Dux captus. Facta igitur

tur reconciliatione, liber abiit uterque cum suis ad propria. *Ernestus* iste duxit uxorem filiam Comitis de *Eversteyn*, quæ peperit ei tres filios & filias. Filii sunt, *Albertus*, *Ernestus* & *Fridericus*. Filiam unam duxit *Vlricus* Comes de *Honsteyn*. *ALBERTVS* volens vindicare patris injuriam, duxit exercitum grandem contra *Hardenberch*, *Nortem* reformatam penitus destruendo. Erat hoc tempore Archiepiscopus Maguntinus in *Hilgenstad*, qui dicebatur venturus; quem ibidem Dux expectabat per triduum, sperans se cum illis conficturum. Post ea vero aliquot annis elapsis, veniens Archiepiscopus cum *Balthasar* Marchione *Mifinensi*, quid egerit, dictum est alibi. Alia filia *Ernesti* Ducis, facta est Abbatisa in *Osterrode*; frater ejus *ERNESTVS* Præpositus *Eimbeccensis*. *FRIDERICVS*, similiter frater, reliquit heredem *Ottonem*, nunc Dominum *Eimbek*. *ALBERTVS* reliquit filium *ERICVM*; qui mortuus, reliquit tres filios, *Henricum*, *Ernestum* & *Albertum*; & filias.



V.

NARRATIO ALTHAHENSIS
DE
QVORVNDAM DVCVM BAVARIÆ GENEALOGIA ET INCREMENTIS;

Ex MSto.

Ritschardus Rex Angliæ Pater videlicet illius *Ritschardi* Regis, qui à *Liupoldo* Duce Austriæ captivatus fuit: *Sophiam* (a) filiam suam copulavit *Henrico* Duci *Bavariae* & *Saxoniae*. Iste *Henricus* genuit ex ea *Ottonem* Imperatorem quartum, & *Wilhelmum* Ducem de *Lunburc* & *Henricum* Comitem Palatinum *Bohemiae*. (b) Iste *Henrico* Ch. Comes Palatinus *Rheni* frater *Friderici* primi Imperatoris copulavit filiam suam *Juditam*, & ex hoc, quia filium non habuit, succedit ei in Palatii Principatu, qui *Henricus* postmodum ex illa *Judita* genuit *Agnetem*, quæ *Ottoni* filio *Ludwici* Duci *Bavariae* matrimonialiter juncta. Ipse etiam *Otto* ex hoc, quod prædictus *H.* filium heredem non habuit, principatum ejus[&] Comitatum Palatii est adeptus.

Item *Henricus* prædictus Comes Palatinus *Rheni* genuit alteram filiam nomine *Yrugardam*, quam duxit *Hermannus* Marchio de *Baden*, qui genuit ex ea *Hermannum* & *Rudolphum* fratres.

Fuerunt item quatuor fratres, *Fridericus* dictus *barbatus*, sive *Pärlink*, fundator *Cenobii* in *Lintorff*, & *Chonradus* Archiepiscopus *Magotinus*, & *Otto*, Comes Palatinus *Bavariae*, dictus de *Schiren*, & *Otto* Comes Palatinus dictus de *Witelinspach* nati ex *Otone* Comite Palatino *Bavariae*, & *Agne* uxore sua, quæ filia fuit *Ludwici* Comitis de *Lön*.

Ex his ille *Otto* dictus de *Witelinspach* genuit *Ottonem*, qui *Philippum* Regem *Romanorum* occidit: alter *Otto* dictus de *Schiren*, cum ille supernominatus *Henricus* *Bavariae* & *Saxoniae* Dux potentissimus à *Friderico* Imperatore proscriptus esset, & per sententiam Principum utroque Ducatu privatus, Dux *Bavariae* est effectus: & genuit *Ludwicum* Ducem *Bavariae*, & quinque filias. Harum unam videlicet *Sophiam* duxit *Hermannus* *Lantgravius* *Thuringia*, & genuit ex ea *Ludwicum* maritum *Sanctæ Elisabethæ* & *Henricum*, postea contra *Fridericum* Imperatorem secundum in *Romanum* Regem electum ----- uxorem *Alberti* Comitis de *Holtsezen*, qui fuit frater *Hermanni* Comitis de *Orlamunde* & *Agnetem* uxorem Comitis *Henrici* de *Anhalt*, qui fuit frater *Alberti* Ducis *Saxoniae*.

Item genuit tertiam filiam *Sophiam*, quam duxit *Henricus* filius *Liupoldi* Ducis *Austriæ*, & genuit ex ea *Gertrudem*, quam postea duxit *Hermannus* Marchio de *Baden*; post interfectionem *Friderici* Ducis *Austriæ*, & ipse *Henricus* factus est Dux *Austriæ*, *Sophia* vero postea *Alberto* prædicto Duci *Saxoniae* copulatur. Secundam filiam *Otonis* Ducis, nomine *Heilkam* duxit *Diétricus* Comes de *Wazerburch*, & genuit ex ea Ch. Comitem. Tertiam duxit *Henricus* Comes de *Pleien*, & genuit ex ea Ch. Comitem. Quartam *Otto* Comes de *Gelv.* & genuit ex ea tres filios. Quintam duxit *Albertus* Comes de *Diligen*, & genuit ex ea *Hermannum* Comitem, & *Richzam* uxorem *Alberti* Comitis de *Bogen*, & ----- uxorem *Rapatonis* Comitis Palatini *Bavariae*.

Hæc est origo *Otonis* Ducis ex *Matre*.
Bela Rex *Ungariae* pater *Andræ* Regis, patris *sanctæ Elisabethæ* & *Belæ* Regis, habuit duas sorores, quarum unam nomine ----- duxit *Liupoldus* Dux *Austriæ*, & genuit ex ea *Fridericum* & *Liupoldum*: & iste *Liupoldus* genuit *Henricum* & *Fridericum*, qui ambo sine filiis decesserunt: alteram duxit *Fridericus* Dux *Bohemiae* frater *Otakari* Regis *Bohemiae*, & genuit ex ea *Ludmilam*, quam duxit *Albertus* Comes de *Bogen*, & genuit ex ea tres filios, *Liupoldum* clericum, & *Bertholdum*, & *Alber.*

(a) Mathildem.

(b) Potius Rheni.